

m
A
6811



Tomus XIII
Miscellanea Philoby.

[Faint handwritten signature or initials]

The
Dy
G
I
M
P
E
P
C
A
S
D
I
E
T
P
G
E



29,

30

TESTAMENTUM
 DAVIDICUM,
Sive,
 ULTIMORUM VERBORUM
 DAVIDIS

II. Samuelis XXIII. 1. seqq.
 SUCCINCTA ET ORTHODOXA EXPOSITIO.

DISPUTATIO IV;
 ET ULT.

Exhibens ἐξήγησιν vers. 6. & 7. seu ult.

Quam

In Inclutâ Academia VVittebergensi

PRÆSIDE

JOHAN. ANDREA QUENSTEDT

SS. THEOL. D. & Prof. Extr.

*Dn. Præceptore atq; Patrono suo ætatem venerando,
 publicæ ventilationi subjicit*

JOHANNES HERDEN, Thorunio-
 Prussus.

die 29. Decembr. Ao. 1655. horis locoq; solitis.

WITTEBERGÆ,
 Typis JOBI WILHELMI FINCELII,
 ANNO Clō Is CLV.

ia
 ē,
 ū,
 o-
 o-
 ū,
 r.
 r-
 n-
 i-
 ad
 l9
 si-
 iā
 m
 uō
 i-
 m
 &
 r-
 le,
 i-
 ut
 t;
 ti,
 od
 ue
 &
 im
 cht
 am
 cui
 ul-
 er-
 eue
 i bi
 and



TESTAMENTUM
DAVIDICUM

ILLIUM VERBO

DAVIDIS

SUCCESSORUM

DISPUTATIO IV

IOHANNIS ANDREAE QUENSTEDT

IOHANNIS ANDREAE QUENSTEDT

IOHANNIS ANDREAE QUENSTEDT

IOHANNIS ANDREAE QUENSTEDT

IOHANNIS ANDREAE QUENSTEDT





Ad Pereximium ac Præstantissimum
Dominum RESPONDENTEM
amicum longè charissimum.

Delectet Scythicos alium furor ire per hostes
Sævaq; robustâ bella ciere manu:
TE, qui *delicia nostra*, certamina sancta
Sola juvant, doctis hinc tua cæpta probas.
Perge velut pergis JESU duce & auspice JESU,
Non deerunt studio præmia opima tuo.

Johannes Andreas Qvenstedt D.
PRÆSES.

Ergò age, nunc cathedram conscendens, dulcis A-
Ostende ingenii docta pericla Tui. (mice
Si quæris, præsens maneat quæ præmia cœptum?
Hæc, quæ non fictâ profero mente, cape.
Ultima perpetuæ Regis sunt verba Davidis
Materies laudis certa futura Tibi.

Jacobus Feldtner Thorunio-Prussus,

Doctrinæ primæva Tibi documenta daturò,
O mihi Theseâ cognite, *Amice*, fide:
Interior me cogit amor bona dicere verba,
Ferreq; perpetuæ pignus Amicitia.
Hoc, precor, ut cœptum solido Tibi cedat honori,
Hincque ferat patrium commoda mille solum.

Per-Eximio, Præstantissimo, Doctissimoque
DN. RESPONDENTI,

Amico Suo ad aras dilecto L.M.Q. festinâ
scrib. manu

Petrus Schlack Prussus in Wolgainen Hereditarius.

Dum nostri Cathedram Tibi Lycæi,
HERDENI, Clariæ decus cohortis,
Nec non prime Sodalium meorum,
Mens est scandere, jure me deceret
Multis Hendecasyllabis politis,
Quales ingenio potens & arte,
Qui Te, Lesbia, plus suis amavit
Semper luminibus, tuasq; cunctis
Rebus prætulit osculationes,
Scripsit propitiâ sibi Minervâ,
De toto Tibi corde comprecari,
Hæc ut cœpta DEUS secundet, atq;
Aspiret studiis Tuis benignus.
Verùm me miserum miser paterni,
Quem cari mihi litteræ Parentis
Rettulere, soli status Camœnis
Nequaquam sinit his diu vacare,
Quocirca in studiis Tibi secundos
Successus voveo brevi Phaleuco.

DAVID HOLST, Elbingâ-Prussus.

Rem sapientis agis, cathedram dum scandis, Amice
Perdilecte, Virùm, quibus inclyta Pallas amica
est,
Et labyrinthos nodos dissolvis acutè:
Gratulor hisce tuis toto de pectore cœptis,
Urge cæpta, feres patriæ sic commoda magna.
Sic meritæ referes laudis quoq; digna brabeia.

*Prestantissimo Dn. Respond. Amico & Civi plu-
rimùm honorando apposuit*

Michael Cleophas Thorum-Prussus.



EXPLICAT. VERB. ULT. DAVID.

II. SAM. XXIII. 1. seqq.

Vers. VI. & VII.

seu ult.

TH. I.

Rofessus suam fidem est sanctissimus Regum, idemq; optimus David, jam ultimo loco contemptoribus Verbi Divini & refractariis, qui se Regno Mesiano subicere nolunt, exitium denunciat sumptâ similitudine â spinis, quæ nudis manibus atrectari non possunt, sed ferratis instrumentis tangendæ sunt, ac tandem in ignem conjiciuntur. Verba textus Sacrosancti hæc sunt, vers. 6. & 7. וְבַלְיַעַל בְּקוֹץ מִנֵּר כְּלָחָם; כִּי לֹא בִיד יִקָּחוּ: וְאִישׁ יִגַּע וּבָהֶם יִמְלֹא בְרִיד וְעַץ חֲנֹרֶת וּבְאֵשׁ שְׂרוּף יִשְׂרָפוּ בְּשִׁבְרָתָם

Chaldæus paraphrasticè vertit in hunc modum: *Improbi, factores peccati erunt similes spinis, quæ in ortu suo molles ad eruendum, & omnis filius hominis parcat super eis, & sinit eas; procedunt & invalescunt, usquequò non sit possibile appropinquare ad eas manu: & sic omnis homo, qui incipit appropinquare ad peccata progredientia & se roborantia super se, usquequò operiant eum tanquam vestis ferrea, non prevalent illi in lignis hastarum & lancearum: ideò non est necesse ultio eorum in manu hominis, sed in igne incendendo incendetur, cum apparuerit domus judicij magni, ut sedeat super solum judicij ad judicandum seculum.*

Adducamus etiam alias versiones, quæ quamvis hos

R

loco

Disputae.
IV. publi-
ca Respõ-
dent. Jo-
hanne
Herden
Thorunio
Prusso.



loco ejusdem ferè significationis sint, tamen rem eandem pulchrâ & opportunâ quadam varietate dilucidant. LXX. ita transferunt; ὁ παράνομος, ὡς περ ἄκανθα ἐξωσμένη, πάντες αὐτοί. καὶ ὅτι ἐ χειρὶ ληφθήσονται. καὶ ἀνὴρ ὅς κοπιήσει ἐν αὐτοῖς, πλήρης σιδήρου καὶ ξύλων δόρατος, καὶ ἐν πυρὶ κάυσει καυθήσονται εἰς αἰχὴν αὐτῶν. Vulgatus ita reddit; *Prevaricatores autem quasi spina evellentur universi, quæ non tolluntur manibus: Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato, igneque succensa comburentur usque ad nihilum.* Santes Pagninus ita vertit Hebræa: *Impii autem tanquam spina moventur (Arias Montanus, Et Belial tanquam spina motus) universi; quia non in manu capiunt: & vir qui tetigerit eas, replebitur ferro, & ligno lanceæ & igne comburendo comburentur in habitaculo (Arias Montanus in mansione.)* Tigurina sic habet; *Contra vir perditus erit ut spina in universum adulsa, quam nemo manu attrectat. Quod si quis eas attingere (cogatur) armet (manum suam) ferro aut ligno basta, aut certè igne, quo eas in stirpe suâ exurat.* Junius & Tremellius vertunt; *At homines nequam ut spina remota erunt omnes, quia non capiuntur manu: Sed qui attrectaturus est eas, munitur ferro & bastili, ut igne prorsus comburantur in eadem sede.* Ludovicus de Dieu reddit; *Et (viri) Belial sicut spina, quæ removentur omnes (erunt): quia manu non possunt capi. Et vir qui attingit eas (vel & si quis attingit eas) replebitur ferro & ligno basta.* Germanica denique Lutheri versio ita habet; *Aber Belial sind allesamt / wie*

wie die außgeworffen Disteln/die man nicht mit Händen fassen kan/sondern wer sie angreiffen soll / muß Eisen und Spießstangen in der Hand haben / und werden mit Feuer verbrant werden in der Wohnung.

II. **וּבְלִיעַל כְּקוֹץ מִן כָּל־הָאֲרָצוֹת** *Et Belial tanquam spina moventur univ[er]sa.* De etymo & significatione Nominis **בְּלִיעַל** variantes occurrunt sententiæ. Olearter, ut refert Bonfrerius Jesuita Comm. in Deuter. cap. XIII. v. 13. illud derivat à **בְּלִי** non, nequaquam, particulâ negante, & **עַל** super, quasi non super, ut, is Belial dicatur, qui neminem fert supra se, seu qui omnibus velit esse superior; cujusmodi significatio videri possit innui I. Samuel. XXV. 17. *Ipsè est filius Belial, ita ut nemo possit loqui ad eum.* Alii deducunt à **בַּל** vel **בְּלִי** non, absq; & **יעַל**, unde **הוּעִיל** profuit, utilis fuit, quasi hominem ἀχρηστον, ac prorsus inutilem dicas, qui videl. nec sibi, nec aliis utilis est. Hanc etymologiam approbat Schindlerus. Sic enim inquit in Lexico suo; *Belial componitur ex בְּלִי absq; & יעַל utilitas à יעַל profuit, utilis fuit; denotat hominem ἀχρηστον, inutilem, qui ad rem nullam utilis est, aut commodus, hominem nibili & nequam, qui nec sibi nec alijs prodest* I. Samuel. XXV. 25. Deuter. XIII. 13. I. Samuel. II. 12. *Transfertur postea ad res alias inutiles, noxias, impias, Deuter. XV. 9. Psal. XLI. 9. &c.* Avenarius quoq; in Lexico suo sub themate **יעַל** considerat & addit; *Belial significat illum, qui nemini prodesse, sed tantum obesse studet.* Eodem modo ἐτυμολογίσει David Camius, primæ notæ Grammaticus apud Hebræos, teste Drusio Comm. poster. ad Voces N. T. cap. 18. Alii compositum esse dicunt ex **בְּלִי** non & **עַל** ascendit, ut significet hominem, qui nunquam



ad frugem adscendit, sive (ut Pelargus ad Deuter. cap. XIII. v. 13. annotat) quem sursum ascendere Dæmon non permittit, aut etiam, qui *non proficiet, non prosperabitur*, ut exponit Bonfrerius loc alleg. Alii deniq; deductum volunt, ex בלי non, sine, absq; & ויג jugum, ut sit Belial absq; jugo, sive quod idem est, *exlex, prævaricator, summè impius*, qui jugum laboris, pietatis ac legis DEI excussit, ac proinde nihil boni agit, vel (ut *ὁ ἀνομίας* Tarnovius Comm. in Nahum cap. I. v. 11.) *qui omnibus justis & equi ruptis repagulis malitiæ laxavit habenas, quasi sine omni jugo legis esset.* Hæc originatio vocis בליעל ut scil. sit quasi בליעל absq; jugo, placet imprimis Hieronymo, qui scribens in Epist. ad Ephes. cap. IV. Belial interpretatur absq; jugo. Hinc Bonfrerius citato loco; *Hæc postrema nominis derivatio, (loquitur de hac ipsâ) mihi præceteris placet; Primò, quia hæc sola vocis vim & significationem exhaurit, cum cætera frigida sint, nec assequantur vim vocis, seu id, quod passim significatur istâ voce Belial. Secundò, quia hanc nominis originem passim adsignat Hieronymus, ut in traditionibus Hebr. in lib. I. Reg. initio, in Isaie 27. & in cap. 4. Epistole ad Ephes. imò & in ipsum Scripturæ textum inseruit, Judic. 19. vers. 22. Tertio, quia eodem videntur respicere Septuaginta, qui frequenter hanc vocem verterunt ὁ ἀνομίας, prævaricatorem, si non ex legem omninò, certè legis jugum non ferentem.* Eandem firmat & exponit Druisius in Comm. priori ad voc. Hebr. N. T. pag. 32. ubi inter alia ait; *Metaphora sumpta à bubus indomitis, quæ Festo injuges boves, quod nunquam jugum subierint. Has Virgilius dixit; intactâ cervice, hoc versu, & intactâ totidem cervice juvenças. Macrobius lib. 3. cap. 5. appellat*

pellat juvencos de grege intacto, eodem sensu. Idem Com. ad loca difficil. Deuteron. cap. LXX. pag. 575. ait; *Filij Belial, i. e. nequam, quasi בלי עול absq; jugo, injuges: tralatio à bubus jugum subire nolentibus. Sic isti abjecerunt à se jugum legis, vel si mavis, jugum DEI.* Consentit Tarnovius Comm. in Psalm. II. v. 3. *Ipsi excutientes jugum & vincula legum divinarum, aptissimo vocabulo composito vocantur filii בלי עול absq; jugo. Deuter. XIII. 13. Jud. XIX. 22. I. Sam. II. 12. Confer eundem loco supra citat.*

III. Cæterum pleriq; ferè interpretes appellativè hanc vocè accipiunt, & LXX. nunc quidem substantivè, nunc adjectivè, nunc concretim, nunc abstractim, modò ἀνομον, *prævaricatorem*, modò λοιμὸν *pestem*, modò λοιμικὸν *pestilentem*, modò ἀσεβῆ *impium & sine religione*, modò ἀφρονα *insipientem* modò ἀνόμημα vel ἀνομίαν, *flagitium, iniquitatem*, modo ἀποστασίαν, *rebellionem*. Aquila ἀποστασίην eam vocem reddidit. Pagninus *impium vel impietatem*. Sic & Rabbi David in libro Radicum interpretatur עשׂר *impium* vel עשׂר *impietate*, unde & Chaldaeus Paraphrastes עשׂר *impietatem* vertit, ut observat sæpe allegatus Bonfrerius Com. in Deuter. cap. XIII. 13. Vulgatus interpres Hebræam vocem *Belial* ut plurimum retinet, maximè si substantivum aliquod, filii vel viri à quo regatur, præcedat. (Haud rarenter enim à Sacris Scriptoribus cum vocibus ארם, איש, vel בן nomen בליעל conjungitur, ut Deuter. XIII. 13. בני בליעל. *filii prævaricationis, impietatis, homines Diabolici*. II. Samuel. XVI. 7. איש בליעל *vir pestilentia, vir sine profectu*, ut reddit Arias Montanus, confer Proverb, XVI. 27. Prov. VI. 12. ארם בליעל



homo apostata &c. Usitatum Hebrais, inquit Lorinus in Psalm. LXXXIX. 23. ita circumloqui iniquum, sicut hominem, per filium hominis, perditum, per filium perditionis, diffidentes seu inobedientes per filios diffidentiae, morti obnoxium per filium mortis &c.) Interpretatur tamen Jud. XIX. 22. absq; jugo Proverb. XVI. 27. reddit insipientem Psal. CI. 4. rem injustam Nah. I. II. praevaricationem, Psal. XII. 5. iniquitatem Job. XXXIV. 18. Apostatam I. Reg. XXI. 13. Diabolum. Cum sine jugo esse nat' ἐξοχῆν malitiae patri atq; principi, Diabolo conveniat, qui primus sua rebellionem jugum DEI excusit. Hinc Hieronymus nomen *Belial* proprium Diabolo facit, sicut & nomen *Satan*: unde & *Belial* saepe *Diabolum* vertit. In *Esaiæ* cap. 10. initio, diabolum (quam vocem ait sonare *criminatorem*) Hebraicè dicit appellari *satan*, hoc est, inquit, *adversarium* & *Belial*, hoc est, *praevaricatorem*, *apostatam* & *absq; jugo*. Eadem ferè habet in cap. 4. *Epist. ad Ephesios*, ubi ita scribit; *Diabulus Graecum verbum est, quod latinè dicitur criminator: linguà verò Hebraè; Satan appellatur id est adversarius, si- ve contrarius, & Apostolo Belial, hoc est absq; jugo, quod de collo suo DEI abjecerit servitutem, quem Aquila apostatam transfudit.* Hæc ille. B. Lutherus Tom. VIII. *Jenensi Germ. Com. in ult. Verb. David. fol. 169. inquit; Belijaal oder wie wirs gewohnet / Belial / das heist auff Deutsch unnütz / oder schedlich / nach dem euserlichen Regiment heisset mans unnütze / bösen Buben / die gern schaden thun.* Verba Viri DEI latinè ita vertit Caspar Cruciger Tom. III. *Witteb. Lat. fol. 115, Belijaal, seu, ut nos adsuevimus Belial, significat homines improbos, nullius bonæ fru-*

na frugis, tantum ad nocendum idoneos, quales Paulus vocat ἀνομίους, ad omne opus bonum reprobos, quales in gubernatione etiam politicā vocantur homines perditī, ἀλάστορες, pestes generis humani. Dicitur autem Belial contractè pro Belijaal, est enim in Scriptura Hebraicā בְּלִיָּאֵל. Hinc Drusius Comment. poster. ad Voces N. T. cap. 18. *Est βελιάλ, inquit archaicōs pro βελιάαλ, ex more eo, quo literam gutturatam in medio abscondunt. Scribitur quoq; interdum Gracè βελίαρ, literis λ & ρ. permutatis, ut ibidem observat Drusius. Locus est, inquit, 2. Corinth. 6. 15. qui sic legitur in Gracis: τίς δὲ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς βελίαρ & in Latinis veteribus: Quæ autem conventio Christi ad Beliar. Visum Hieronymo hanc Scripturam mendosam esse: Itaq; mutavit, Belial, quem secuti sunt nuperi omnes interpretes. Etiam in Græco βελιάλ reposuerunt homines audaces. Hæc ibi Drusius. In priori commentario loco alleg. dicit; Hesychium, Belial scribere βελίαρ & reddere Δράκων & innuere Diabolum 2. Cor. 6. 15. ubi Syrus habet; quæ conjunctio Christi cum Satana. Concludimus hanc vocis Beliale nodationem verbis Doctoris nostri Dorschei, Synops. Theol. Zachar. part. I. cap. IIX. §. 163. Si verò aliqua inter interpretes dissensio, in eo conveniunt omnes, Belial notare aliquem in nefario improbitatis gradu positum, insigniter improbum, divinæ legis desertorem & hostem impudentissimum. Inprimis autem caput regni Christo adversarii, hoc est, Diabolus, cum myriadibus suis, hoc loco (Psal. XVIII. 5.) connotatur, cujus torrentes & inundationes Messias senserit.*

IV. De particulâ ∩ disputatione præcedente th. IV. egimus, ∩ verò est *spina pungens*, à tædio sic dicta,

dicta, quod pungendo affert, aut quod celeriter exci-
tat, ut inquit Buxtorfius in Lexico. Est enim קוץ *Ta-*
dere, Distadere & Hiph. הקוץ Tadio afficere; Evigilare,
Expergisci, eodem docente. נוד significat *motus est,*
commotus est, dimotus vel remotus est. De verbo נוד hoc
tenendum, inquit Joh. Tarnovius Com. in Psal. Pas-
sion. Psal. LXIX. 21. *proprie significat moveri, celeriter de*
loco in locum progredi, vel fugere, Psalm. 11. v. 1. metaleptice
verò & specialiter accurrere ad consolandum ex condolen-
tiâ Job. 2. 11. & 42. 11. Es. 51. 19. & c. כלם irregulariter
pro כלם, *universi ipsi, omnes ipsi.* Observandum (verba
sunt Ludovici de Dieu Animadvers. ad Lib. I. Samuel.
cap. 6. v. 4.) *particulam כל non raro jungi affixo tertia*
persona, & absolutè significare omnes, etiam quando ad
eos refertur, quos quis in secundâ personâ alloquitur, ut Mi-
cha. I. v. 2. שמעו עמים כלם audite populi omnes,
proprie, omnes illi, pro omnes vos. Idem legitur I.
Reg. XXII. 28.

V. כוֹלֵה בְּיָד יִקְחוּ *Quia non manu capient.*
יִר proprie significat membrum illud corporis no-
tissimum & commune multarum actionum instru-
mentum, *manum, μεταφορικῶς* verò multa notat apud
Hebræos, in primis vim, robur, potentiam, imperium,
dominium, quò de videantur Lexicographi, præ cete-
ris Schindlerus. לקח est *cepit, accepit, suscepit, sumpsit,*
quandoque verò non simpliciter accipere denotat,
sed *cum approbatione acceptum habere, benevolè recipere,*
ut Malach. II. 13. Gen. XXXIII. 10. Psalm. VI. 10. *Jeho-*
va suscepit, i. e. acceptam habuit orationem meam.
Item, *vi capere, eripere, auferre, assumere vel reluctanter,*
ut Jo-

EXPLIC. VERB. ULT. DAVID. II. SAM. XXIII. 1. seqq. 133

ut Josua XI. 23. *Et cepit Josua omnem terram, i. e. vi & armis occupavit, subegit.* Referunt etiam huc loca Gen. V. 22. II. Reg. II. 5. unde & nomen מלקוח *præda, qua vincitur.* Vide Ludovicum de Dieu animadvers. in Nehem. cap. 5. v. 2. Tarnovium Com. in Psal. 6. v. 10. interdum quoq; לקח idem est, quod *discere* Proverb. I. 3. (est enim discere specialis quædam mentis nimir. cordisq; acceptio) inde nomen לקח Deuter. XXXII. 2. Proverb. IV. 2. Vide Dn. D. Glasfii Phil. S. Lib. III. tr. III. Can. 15. in fine.

VI. וְאִישׁ יַעֲבֹדָהּ *Et vir, qui tetigerit eas*) Nomen אִישׁ hoc loco quemlibet virum aut foeminam significat. Aliquando & præsertim cum affixis notat maritum, ut observat Avenarius in Lexico. Non raro est nomen ἀρετής, ut vocant, & hominem excellentem, clarum, præstantem, strenuum, fortem &c. designat, ut I. Sam. II. 9. c. XXVI. 15. Psal. XLIX. 3. Jer. V. 1. Unde Lutherus Comment. in ult. verba Dav. ad Gen. cap. IV. v. 1. *Ich habe den Mann den Herrn Tom. VIII. Jenens. fol. 157. Das Wort Isch / wo es alleine stehet ohn ein Weib / heisset es nicht schlecht ein Mansbild / wie alle Männer sind / sondern ein Ausbund und fürnehmlichen Mann / wie wir Teutschen auch sagen / das ist ein Mann / das wil ein Mann werden. Hinc factum est, inquit Rivetus Comment. in Exodum cap. XV. 3. ut quicumq; præstans, eximius, excellens, aut peritus in aliquâ facultate vel arte; virtute vel vitio, reperiebatur, dictus fuerit vir, cum adjectione nominis, qualitatem significantis, in quâ excellebat.* Sic Exod. IV. 10. וְאִישׁ דְּבָרִים, *vir verborum, ἀνὴρ ῥημάτων* ut reddit Aquila, est εὐλαλῶς ut vertunt LXX. & Symmachus, eloquens, facundus, vel

S

vel

vel disertus, sic & Jobi XI. 2. **וְשֵׁן שִׁפְתָיו** *vir labio-*
rum est **παλάλαλ**, ut transfert Symmachus, vel etiam
εὐλαλ ut LXX. reddunt, multiloquus, loquax, garru-
 lus. I. Samuel. XVII. 33. **וְשֵׁן מִלְחָמָה** *vir belli* est **πο-**
λεμιστής, ut habent LXX. bellator, bellicosus, bellige-
 randi peritus & cap. præced. v. 18. **וְשֵׁן חָמֵר** *vir formæ*
 i. e. formosus. Proverb. XIX. 6. **וְשֵׁן מִתָּן** *vir muneris*,
εὐνήρ δομάτων ut vertit Symmachus. i. e. munificus, qui
 munera largè dat, Esaia LIII. 3. **וְשֵׁן מַכְאוֹבֹת** *vir dolo-*
rum vel *plagarum*, i. e. **ἀνήρ ἐπίπον** *vir laboriosus*, ut
 reddit Symmachus, *vir doloribus confectus*, dolori-
 bus plenus, ut exponit Rivetus in h. l. *doloribus omni*
ex parte circumdatus, ut exprimit Menochius. **נָגַע** in
 genere significat *tetigit, attigit*, & sæpè in malam par-
 tem, *tangendo læsit, plagâ affecit, percussit*, hinc **נָגַע** *pla-*
ga, læsio.

VII. **יִמְלֵא בַרְזֶל וְעַץ חֲנִירָה** *replebitur ferro &*
signo lanceæ.) Verbo **יִמְלֵא** propria est significatio ple-
 nitudinis, sic Psalm. LXXII. 20. *Et replebitur gloria e-*
jus omnis terrâ. Esther VII. 5. dicit Assuerus de Hama-
 no, *quis est hic, quem implevit cor ejus ad faciendum sic*, i. e.
 quis tantos spiritus sumpsit, & tam audax evasit. In au-
 daciâ enim cor spiritibus impletur, inflatur, turgescit.
 Utrobiq; est thema **יִמְלֵא**. **בַרְזֶל** ferrum notat, *componi-*
tur, inquit Avenarius in Lexico, ex **בַרְזֶל** *purum* **נָזַל** *flu-*
xit, nam ferrum est puritas metalli confluentis. Notanda
 hîc sunt verba Ferdinandi Quirini de Salazar Jesuitæ,
 quæ habentur in Commentario Proverbiorum Sa-
 lom. ad cap. XXVII. vers. 17. *Ferrum ferro acuitur: Vox*
בַרְזֶל *Barzel non modò ferrum, sed etiam chalybem si-*
gnificat. Est autem Chalybs genus ferri durissimum,
 quod

quod quidem vulgari & communi additum ferro, atq; intime permixtum ad gladios concinnandos accommodatum est, nam commune ferrum, alioqui lentum, chalybe immixtum ad scindendum rigescit. **ץ** generale nomen est, denotans lignum, tum aridum, tum viride, sive caduum & caesum, arborem virentem & decisam. Exempla passim in S. L. occurrunt. Psal. I. 3. de arbore virente & fructifera usurpatur. Latinam vocem *ligni* a legendo dici vult Varro Lib. V. de Lingua Lat. quod ligna caduca in agris legebantur. **חנית** est lancea vel hasta, cujus usus est in militia & castris. Psal. LVII. 5. *Dentes eorum sunt lancea & sagitta.* Isaia II. 4. *Et cudent gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces.* confer Mich. IV, 3.

VIII. **וּבְאֵשׁ שָׂרַף יִשְׂרָאֵל בְּשִׁבְרָה** Et igne comburendo comburentur in habitaculo. **אש** ignis. Vocabulum hoc in Scriptura S. varia habet significata metaphorica. Conferri enim igni solet I. *afflictio seu tribulatio*, quæ ut ignis corpus, sic animos urit, itemque pravæ concupiscentias exurit: nec tantum fideles repurgat sed etiam explorat. Spectat huc divina promissio Israel facta Es. XLIII. 2. *Cum transferis per aquas & ignem, i. e. per gravissimas afflictiones & pericula, illæsum te traducam.* Psal. LXVI. 12. *Venimus in ignem & in aquas, & eduxisti nos.* i. e. omne genus ærumnarum & afflictionum sumus experti. conf. I. Petr. I. 7. cap. IV. 12. & c. II. *tradivina.* Ignis magnæ activitatis & *ἐνεργείας* est præ ceteris elementis, ob quam ignis efficacitatem Nationes quædam, maximè Persæ ignem pro DEO coluerunt, quia inter cæteras creaturas nullam viderunt, quæ potentius operaretur, ut adnotat Rivetus Comm. in Exod. cap. XV. v. 7. pag. 951.



tom. I. Oper. Igne ergò comparatur ira & vindicta DEI in impios ad significandam ejus efficacitatem, vide Deuter. IV. 24. cap. XXXII. 22. Psalm. XVIII. 9. Es. LXVI. 15. Jerem. IV. 4. &c. III. *Spiritus Sanctus ejusq; efficacia.* Uti enim ignis penetrat res corporeas, sic vis Spiritus S. penetrat animos nostros, & uti igne metalla purgantur, sic efficaciam Spiritus S. purgantur corda nostra à sordibus peccatorum. Ignis accendit, sic Spiritus S. ardentem motum charitatis & Zeli flammam in nobis excitat. Ignis illuminat; sic Spiritus S. illustrat mentes nostras in cognitione veritatis, vide Matth. III. 11. Luc. III. 16. Actor. II. 3. IV. *Verbum Dei.* Jerem. XXIII. 29. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus,* qui scilicet omnia consumit? aliàs etiam propter puritatem verbum DEI igni comparatur. Malachiæ III. 2. CHRISTUS docens dicitur quasi ignis conflans. Ignis est signum aptum divinæ & regie majestatis. DEUS enim apparet in ardente rubo. Exod. III. 2. in columna ignis Exod. XIII. 21. adeoq; Symbolum erat præsentie DEI tum gratiosæ I. Reg. XIX. 12. tum formidabilis Exod. XIX. 18. XX. 18. XXIV. 17. Deuter. IV. 11. 19. 36. V. 12. &c. Hebr. XII. 18. Erit etiam symbolum iræ (cum Christus veniet ad judicium extremum) quam exeret in impios II. Thess. I. 8. *שרף ושרפו* *comburendo comburentur* i. e. omnino vel certissime comburentur. Nam juxta regulam Hebræorum, *Finitum quodvis verbum suo infinito jungi assolet, ad majorem certitudinem & evidentiam exprimendam, qua per adverbium rectè declaratur.* Explicationis verò gratiâ infinitivi etiam in gerundia converti Latine possunt. Rectè B. Gerhardus Tom. IX. LL. Loc. 33. § 45. *Hac verbire.*

bi repetitio, inquit, pbrasi Hebraicâ significat quandoq; certitudinem & evidentiam, Gen. 2. v. 17. cap. 37. v. 33. quandoq; continuationem, & frequentiam, Jos. 24. vers. 10. Jerem. 23. vers. 17. semper autem exaggerationem & emphasim continet. Itaq; hoc loco reduplicatio ista, comburendo comburentur, certitudinem & continuationem combustionis ostendit, atq; indicat, impios ac prævaricatores igni certò vel omninò esse obnoxios. כּשׁי est sedit, habitavit sedendo, moratus est, mansit sedendo, perseveravit in loco. Rectè Dn. D. Wellerus in Psal. I. vers. I. כּשׁי inquit, sedere, est commorari, securum esse, in utramvis quasi aurem dormire & liberè conversari. Proprium est illorum, qui non commorandi sed habitandi locum sibi erigunt. Num. XXIII. 9. Jerem. XLIX. 31. Hinc כּשׁי sedes, sessio, habitatio.

IX. Hæc est verborum commatis 6. & 7. analysis Grammatica, jam de sensu literali erimus solliciti, quo perspecto, doctrinas quasdam ex textu fluentes subjiciemus. Constituere autem hîc oportet imprimis, quinam sint illi filii Belial, sive prævaricatores & hostes Christi, quibus exitium hîc minatur David. Judæorum magistri, quando Prophetæ impiis & refractariis Judæis DEI iram, justissimam vindictam atq; vastationem horrendis peccatis promeritam denunciant, illam frequenter à gente suâ in miseros Ethnicos devolvunt, quæcunq; verò fausta, felicia ac splendida prædicuntur, sibi solis velut *alba Gallina filiis* stultè adscribunt. Non itaq; mirum est, si illa, quæ de prosperitate regni Messiani vers. 4. & 5. dicta sunt, sibi suisq; sociis tribuunt, hæc verò quæ de extirpandis puniendisq; prævaricatoribus ultimis hisce versiculis

à David Prophetico spiritu prædicuntur, Gentilibus, & à regno illo suo imaginario alienis applicant. Ast meliori jure Nicolaus de Lira, è Judæo Christianus factus, Hebraicarumq; literarum peritiâ & commentariis in universam Scripturam S. clarus h. l. subjectum ultionis & pœnæ facit Judæos, qui tempore Christi in his terris agentis fuerunt prævaricatores non recipiendo doctrinam ejus. Hi enim, juxta illum, sicut spinæ inutiles evulsi sunt, quando in horrendâ & universali illa strage à Jesu Christo prædictâ & à Tito Vespasiani filio editâ, in excidio, inquam, Hierosolymitano, partim peste, fame, igne & gladio sunt absumpti, partim in captivitatem abducti & in omnes Orbis provincias dispersi. *Quia itaq; noluerunt recipere doctrinam Christi & Apostolorum, ideò venit super illos dura correctio Romanorum, inquit Liranus, & ex eo Alphonsus Tostatus h. l. qui venientes ad expellendum Judæos de terrâ, venerunt cum magno exercitu & fecerunt bella fortissima, ut declarat Josephus, in libris de bello Judaico & sic erant armati ferro & lanceis. Igneq; succensæ comburentur i. è. inquit jam dictus Abulensis Episcopus ex mente Lirani, urbs Jerusalem fuit combusta per Romanos & etiam multi de Judæis.* B. Lutherus Comment. in hæc ult. Verba David. præsentem locum etiam de Judæis contumacibus & rebellibus interpretatur, ita tamen ut postmodum ad quosvis Regni Christi adversarios, utpote Judaicam, Mahometicam, Papisticam, item fanaticorum factionem seu sectas eundem accommodet. *Hic jam vaticinatur David, inquit, de ipso populo suo judaico, cujus maxima & potissima pars hunc Dominum & Regem Messiam non sit receptura. Hos nominat ebraicè filios*

Tom. III.
Witteb.
Lat. fol.
115.

filios Belial &c. Et postea: Tales sentes & spinae sunt praecipue hoc genus Iudaorum, quod Messiam iam illustribus fol. 116. testimonijs divinis exhibitum persequitur, tanto furore & malitia, ut nullis DEI beneficijs nec ullis mirandis operibus flecti potuerint, ut sibi promissum & datum filium DEI amplecterentur. Donec tandem Romani exercitus armis, ferro & pilis ex ipsa sua politia excussi, adeoque in ipsa sua sede regni & templi igne & flammis, etiam corporaliter perditissimi sint. Et adhuc non desinunt ardere, ubicunque sunt in suis conventiculis, etiam miserrime exules illo aeterno igne irae DEI. Hoc modo vides a Davide clare praedictum huic populo extremum excidium, propterea, quod hunc suum Dominum & Regem adversati sunt. Sicut & ipse Dominus Luc. 19. inquit: Ecce relinquetur vobis habitatio vestra deserta. Nec minus clare a Daniele cap. 9. & Zacharia cap. 14. praedictum fuit. Haecenus Lutherus. De Iudaeis quoque principaliter verba Davidis accipienda esse docet Lucas Osiander Comm. in h. l. inquit; Et si quis tangere voluerit &c. id est: Quando Deus intratabilem illum populum, Iudeos obstinatos, a regno Messiae exterminare volet, non tractabit talem populum clementer aut humaniter, sed armis Romanorum aggredietur, ac superabit eos; tandemque cum urbe Hierosolyma comburet. Addit tamen porro. Et si autem principaliter hic de Iudaeis sermo est; tamen & reliqui impii, quia spinae sunt, evellentur tandem, saltem in novissimo die de agro Domini, de Ecclesia, & exurentur igne inextinguibili, Matth. 7. Christus igitur, (inquit David) & regnum ejus durabunt, in aeternum, hostes vero ipsius, atque omnes impenitentes abjicientur in aeternos cruciatus.

X. Qvan-

X. Quanquam verò hoc vaticinium Davidis ad contumaces & rebelles Judæos, qui armatâ Romanorum manu debellati & partim in ipsâ sede suâ, Hierosolymâ igne & flammis corporaliter perditî sunt (vide Josephum de bello Judaico lib. VII. cap. XI.) applicari potest, tamen quia generaliter David loquitur; *Et (viri) Belial sicut spina remota, universi ipsi &c.* idè omnes omninò insigniter impios, refractarios & regni Christi hostes, non verò præcisè certam ipsorum classem vid. contumaces judæos, (qui tamen & ipsi tanquam species primaria sub universo isto genere comprehenduntur) in hoc vaticinio in sensu literali intelligi, illisq; non temporales solum sed æternas etiam pœnas à Davide denunciari existimamus. Hinc rectè B. Lutherus in glossâ marginali, *Belial sind die / so dem Reich Christi feind sind / als Jüden / Pabst / Türken / &c.* Viri itaq; Belial hoc loco nobis sunt omnes illi, qui Christo, ejusq; voluntati adversantur, atq; imperium illius, ut diram ac tyrannicam dominationem averfantur: Qui religioni Christi colla subtrahere conantur, tum quoad cognitionē & fidem, hoc est, qui nolunt *captivare ratiocinationes suas in obedientiam Christi* II. Cor. X. 5. tum quoad vitam & actiones, hoc est, qui nolunt vitam suam præceptis Christi conformare; Qui doctrinam Christi ejusq; statuta, quæ piis & fidelibus sunt *melle dulciora & desiderabiliora præ auro & lapidibus pretiosis* Psal. XIX. II. pro laqueo lethali & catenis ferreis habent, & tanquam compedes & carceres oderunt illud Psalmi II. 3. subinde in corde suo dicentes; *Disrumpamus vincula eorum, (DEI & CHRISTI ejus) rejiciamus à nobis funes ipsorū.* (ubi fastidiosi detrectatores

tores imperii divini, odiosis vinculorum & funium vocabulis exprimunt Christi regnum, cujus *vincula voluntaria sunt, & vertuntur in amplexus*, ut ait Hieronymus Epist. 127.) Qui velamen malitiæ habentes libertatem, ut Petrus ait Epist. I. cap. II. v. 16. serviunt libidini, avaritiæ, ambitioni; & servitute peccati nexi, sibi liberi videntur, nec volunt solvi catenis iniquitatis ut liberati à peccato, servi fiant justitiæ Rom. VI. 16. 18.

XI. Hos inquam, verè filios Belial, qui volunt esse sine jugo, in genere hoc loco intelligit David, eorumq; statum, conditionem & exitium declarat aptissimâ similitudine sumptâ à Spinis. Solet Scriptura S. Impios variis, eisq; noxiis, vilibus & inutilibus rebus conferre. Psal. I. 4. *glumæ & volantibus quisquiliis* eos comparat, quæ, dum triticum ventilatur, in altum à vento elevantur, circumvolvuntur, quæq; adeò nullum omninò commodum afferunt hominibus, ut eorum oculos lædant graviter, afficiant etiam nares & faciem haud sine molestiâ, ut cum Aben Esra & R. David Kimchi vocem *יין* exponit Doctor noster Jacobus Wellerus in hunc Psalm. pag. 40. confer Jobi XXI. 18. & Matth. III. 12, ubi impii *ἀχυρῶν* (quod dicatur quasi *ἀέχυρον*, aut ut alij volunt *ἀπὸ τῆ μὴ ἔχειν*, ut modò dictus celeberrimus Theologus observat loc. alleg.) comburendo, pij verò tritico conferuntur. Eodem jam dicto capite III. Matth. v. 10. itemq; cap. VII. 19. *arboribus infructuosis*, cap. XIII. 40. *Zizanijs* Johan. XV. 6. *palmitibus infrugiferis*, Judæ v. 12. *arboribus emarcidis, infructuosis, bis mortuis, eradicatis* comparantur. Spinæ autem noxiorum, perditorumq; hominum &

T

pro-

profligata vitæ Symbolum esse res est notior, quàm ut
 proluxa probatione indigeat. Sic sanè Ecclesia & quæ-
 vis anima fidelis dicitur esse *Lilium inter spinas* Cantic.
 II.2. id est inter impios & malos homines. Bernhardus
 ferm. 48. in Cantic. ad hæc verba ; *Spina, inquit, culpa
 est, spina poena est, spina falsus frater, spina vicinus est ma-
 lus. O candens lilium, o tener & delicate flos, increduli &
 subversores sunt tecum : vide quomodo cautè ambules in-
 ter spinas.* Alludit Sanctus Pater ad locum Ezech. II.
 6. ubi juxta Hebraicam veritatem sic legimus ; *Et tu
 fili hominis, ne timeas ab eis, & à verbis eorum ne metuas,
 quoniam rebelles & spina tecum sunt, & cum tribulis (A-
 rias Montanus, scorpionibus) habitas.* Michæas cap. VII.
 v. 4. similes aculeatis plantis peccatores esse dicit ;
*Qui optimus in eis, est quasi paliurus, & qui rectus, quasi
 spina de sepe.* Confer Num. XXXIII. 55. Jos. XXIII. 13. Es.
 IX. 18. X. 17. Ezech. XXVIII. 24. Hoc loco David non so-
 lum comparat Filios Belial cum spinâ, sed cum *spina a-
 motâ, avulsâ LXX. ἐξωσμένη i. e. extrusâ, expulsâ, ejectâ,*
 quia scil. non solùm in hac vitâ sunt à DEO amoti & re-
 moti, sed etiam quia in die novissimo è terrâ ejiciendi
 in Abyssum Gehennæ.

XII. Cum spinis autem comparantur impij his
 potissimùm de causis, I. Spinæ & sentes hinc inde in
 agris sponte nascuntur & crescunt ; Sic impietas na-
 turæ vitio facilè propullulat nullo satore. II. Spinæ
 vel planè nullos ferunt fructus, vel faltem acerbos,
 Christo teste Matth. VII. 16. *Nunquid colligunt de spinis
 uvas, aut de tribulis ficus ;* Sic improbi sunt ἀναρτοι, ad
 omne opus bonum inepti & quamvis præcoces osten-
 dant fructus quandoque, aut potius folia faltem & flo-
 res

res nonnullos, nihil tamen producant nisi abortivum
 Esaiæ XVIII. 5. Confer Sapient. IV. 3. 4. 5. 6. & pro uvis
 tribulos, pro ficibus spinas exhibent. Florem fru-
 ctumq; afferunt in infidelitate, Origenes lib. I. in Jo-
 bum tom. 2. Autor imperfecti Operis hom. 19. *Non
 possunt spinæ & tribuli Ecclesiasticos fructus proferre: sed
 quid proferunt? vulnera, tribulationes & cetera mala.*
 III. In locis incultis, desertis & inhabitatis proveni-
 unt ut plurimum spinæ, tribuli, cardui, lappæ & aliæ
 pestes ejusmodi; sic & סוררי, homines protervi,
 contumaces, intractabiles, rebelles *habitant siccitatem*
 Psalm. LXVIII. 6. i. e. in locis aridis, desertis & incultis.
 Nam *cum omnibus abundare videntur bonis & affluere
 divitijs, est tamen, ubicunq; sunt, desertum, & omnium bo-
 norum inopia, quia non possident magnum illud lucrum,
 pietatem nempe, cum animo suâ sorte contento, I. Ti-
 moth. VI. 6. Quod qui habent ubicunq; agant, ibi paradisi-
 sus est deliciarum, quia timentibus DEUM nihil boni deest,*
 ut inquit Andr. Rivetus Comment. in prædictum
 Psalm. tom. 2. Operum pag. 254. IV. Spinæ facilè suc-
 crescunt & latè se ostentant ac diffundunt suis folijs
 sed dicto citius eradicantur & igni dantur in escam.
 Sic impius erigit ac *diffundit sese instar frondosæ lauri*
 Psalm. XXXVII. 35. i. e. ostentat suas opes, potentiam,
 robur, dignitatem &c. sed felicitas ejus est momenta-
 nea. *Transivit, inquit Psalter vers. seq. 36. & ecce non e-
 rat, & quasiivi eum & non est inventus, i. e. subito evanuit
 ipse cum suâ opulentiâ, viribus & potentia. Antequam
 olla (vel spinæ) vestra sentiant rhamnum, velut vivum
 sicut ardore abripiet illum. Psalm. LVIII. 10. i. e. ante-
 quam olla vestra incalescant rhamno, & sentiant*



ignem ex spinis accensum, sicut vivens, hoc est, dum adhuc caro est cruda, nondum percocta, sic veniet ira & ut turbo mox perdet impios; vel, antequam adolescent & crescant in majorem altitudinem spinæ & graviores & duriores aculeos emittant, dum scilicet adhuc est vivus rhamnus, id est, tener, succulentus, abripietur tempestate. Ita impij immaturâ morte è medio tollentur in ipso vigore suo, antequam vel scelera ipsorum & vitia vel injuriæ crescant & augeantur, ut intollerabiles fiant; vide D. Henric. Mollerum Com. in h. Psal. *Sanguinarii & dolosi non dimidiabunt dies suos* Psal. LV. 24. *sed sicut gramen subito excidentur: sicut viror herba* (i. e. herba virens) *marcescent* Psal. XXXVII. 2. *Scribunt enim gaudij mundani sectatores in aquâ, que nullum scripturæ vestigium retinet*, Gregorius Nyssenus homil. 5. in Ecclesiast. V. Spinæ sunt perplexæ, & sibi invicem implicatæ; Eodem modo impij, *confident in consilio*, Psal. I. 1. & quamvis capitibus i. e. voluntatibus dissideant, caudis tamen instar vulpecularum Samsonis Judic. XV. 4. cohærent, quibus noceant. Vitium vitio, velut annulus annulo cohæret, catenata sunt vitia, catenati impij & invicem nexi, societatem coeunt in nequitijs. *Spinae sunt se invicem complectentes* (Junius, *æquæ ac spinae perplexi*,) *qui cogitant contra Dominum* Nahum I. 9. & 10.

XIII. VI. Sub dumetis & spinetis, ut plurimum serpentes, bufones, Lacertæ, & alia *γενήματα ἐχιδνῶν* delitescunt; sic in Synagogâ peccantium, sive in cœtibus impiorum Ecclesiastici XXI. 10. varia latet impietas, imò ipse Diabolus cum alijs septem spiritibus in illis habitat Luc. XI. 24. 26. variâq; vitiorum suppellectile

lectile hanc domum suam exornat, quam Paulus explicat Rom. I. 20. 21. seq. Ephes. II. 2. IV. 17. 18. itemq; Jacobus III. 6. & Judas v. 11. 12. VII. Spinæ & Zizania in arvis cum tritico & frumentis unâ excrescunt Matth. XIII. 26. & Liliū inter spinas collocatum est Cantic. II. 2. Hinc Virgil. Georg. I. *Intereunt segetes, subit aspera sylvæ, Lappæq; tribulig; interq; nitentia culta, Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ.* Sic quoq; Ecclesia militans, non velut Novatiani quondam & Cathari somniabant, numeris omnibus perfecta hîc est & purissima, sed veris Christianis falsos & hypocritas, bonis malos, filijs DEI filios Belial admixtos habet, non secus ac tritico adnasci solent lolia sive Zizania. Rectè Fulgentius de Fide ad Petrucap. 43. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, aream DEI esse Ecclesiam, & intra eam usq; in finem seculi frumento mixtas paleas contineri, hoc est, bonis malos misceri.* VIII. Spinarum nullus est usus, bonam sementem suffocant, & frugibus non incommodant solum, sed & eas enecant; ita homines nequam nec per se frugi, verbi divini proventum & incrementum impediunt, lædunt pios, eisq; damnum inferunt, quandoq; & mortem. Vide Luc. VIII. 14. IX. Spinæ contrectari manibus aut tangi sine damno nequeunt; nam si incautius prensantur & acutissimè pungunt & gravissimè lædunt. Sic cum impijs nemo sine damno ac detrimento habet commercium. Proprium eorum est studium nocendi alijs, adeò ut nullus ferè piorum ab illis illæsus discedere possit. Pungunt spinæ rosam, impij fidelem animam. Sed ut rosa inter spinas puncta easdem exornat venustate; sic pij puncti ac læsi à malis hujus seculi spinis inter



easdem tamen lucent, illasq; floribus beneficentiæ ornant. X. deniq; Spinæ, frugum morbi ac pestes terræ ex agro aut horto eradicatæ & succisæ in fasciculos colligantur, & in ignem conjiciuntur. Lilia enim deferuntur in domos, spinæ in ignes. Sic impij vel casibus tragicis in hac vitâ evelluntur ex agro Domini i. e. Ecclesiâ, vel demum sub finem Mundi excidentur & in immanem æternorum suppliciorum ignem projicientur. *Colligentur & alligabuntur in fasciculos ad comburendum*, Matth. XIII. 30. qui inter se hîc in malo colligati fuerunt. *Aequè ac spinæ perplexi, & tanquam si mero obruti essent, inebriati, consumentur, velut stipula arida planè.* Nahum. I. 10. *Terribilis quædam expectatio judicij, ἡγὶ τῶν πρὸς ἑλπίδι & Zelus ignis* (Erasmus, *ignis vehementia*) qui devorabit i. e. excruciat adversarios scil. DEI & veritatis. Hebr. X. 27. *Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis*, Ecclesiastic: XXI. 10.

XIV. His de causis Spinæ nomen impiis convenit. Earum tamen duas saltem & quidem ultimò à nobis recensitas David in ultimis suis verbis adducit; scil. comparat filios Belial spinis ac dumetis I. *propter intractabilitatem.* Et Belial, inquit, *sicut spinæ avulse universi ipsi, quas manu nemo atrectat, & vir qui atrectaturus est eas, replebitur ferro & ligno haste.* Quasi dicat Rex sanctissimus; Filij Satanæ, homines impij & contumaces, qui se regno & voluntati Messia subicere nolent, erunt instar spinarum in agro, quæ removen- tur; quas homines ita horrent, ut nudis manibus atrectare non audeant, quia prorsus intractabiles sunt, distringunt, pungunt, sauciant, cruentant, adeoq; ne-
cesse

cesse sit, ut ferro & quibuscunq; armis ac instrumen-
tis ferratis tangantur, quibus evellantur aut resecentur,
vel jam evulsæ & resectæ colligantur. Ludovicus de Dieu animaverf. in h. l. *וְיָמִין* inquit non ver-
to cum Vulgato armabitur, nec cum Junio munitur, sive
quis enim excidere velit spinas, ferrum quidem & lignum
securis adhibere, non autem hasta solet: sive manum suam
munire, ne attingendo ledatur, neutiquam hasta ferro ac
ligno uti consuevit. Sed sensum esse puto, spinas non pati se
capi. Si quis tangere velit, spinarum aculeos infigi manui
eius inherentes replere facta vulnera, non aliter quàm fer-
rum lignumq; hasta, per corpus alicujus transverberata, il-
lud opplent. Imitantur enim acumina spinarum mucronem
ferri hasta, & quando spina altè insiguntur, non aliter se-
res habet, quàm ubi non solum ferri mucro, sed & cum ferro
ipsum hasta lignum transadigitur. Ludovico de Dieu
præivisse videtur R. Levi Ben Gerson, qui hunc in mo-
dum verba Davidis interpretatur; *Viri impietatis om-
nes sunt sicut spina abjecta, quam nemo accipit in manū,
quia metuit ne perforetur manus sua, neq; appropinquat ei,
quia propter agilitatem suam facile intrat in manum &
transfigit eam: Sic quisquis appropinquat filiis Belial, per-
foratur & impletur ferro lanceæ corpus ejus, & ligno in
quo figitur (ferrum,) tanta autem est libido perdendi ap-
propinquantes, ut non sufficiat introiisse ferrum in corpus;
nisi etiam transferit lignum lanceæ.*

XV. Nostram explicationem approbant plerique
interpretum: Alphonsus Tostatus Episcopus abulen-
sis in Hispania in h. l. *Quicumq; voluerit tangere spi-
nas, erit plenus ferro, i. e. inquit, armabitur ferro, & e-
rit hasta lanceæ in manu suâ, i. e. armabitur ligno lan-
ceato,*

ceato. Franciscus Vatablus in annotat. ad h. l. Replebitur, inquit, aut per praesens repletur, subintellige ipse aut manus ejus i. e. capiet instrumentum ferreum, quo succidat illas, aut bastile lanceæ, quo propellat eas. Casparus Sanctius Jesuita in h. l. Si quis manu contrectare voluerit spinas, nempe ut evellat, aut à loco removeat, seu etiam, ut in ignem conjiciat, non facit hoc manu, sed ligone, aut falce, aut praeferrato ligno ad bastia similitudinem. Cornelius à Lapide in h. l. Significat impios, inquit, quasi spinas, molli correctionis esse incapaces, & contactum eorum esse aculeatum; ac proinde non blandè, sed rigidè, cum eis agendum, ut ferro succidantur, vel ligne comlurantur; sicut, qui spinas vult tollere, non manibus eas evellit, ne iis pungatur, sed manus armat ferro, quo eas succidat, vel ligno lanceato; Vatabl. hastili lanceæ, quo eas abigat & amoveat, ne ab iis ledatur. B. Lutherus Comm. in hæc ult. verba David. conferens hunc locum cum parabolâ CHRISTI de Zizaniis Matth. XIII. Intelligo igitur, ait, & Zizania, idem, quod hoc loco Koz vocatur, illud majus, horridum, senticosum, aculeatum spinarum seu carduorum genus, inter ipsa frumenta nascens, quod in messe secernitur, ita, ut seorsim falcibus resectum, postea rastris & bastilibus praecutis eximatur. Manu enim nudâ colligi non potest, nec alius ejus usus est, quàm ut ignem in focus alat. Significat itaq; hac primâ parte similitudinis David, homines impios & regni Christi oppugnatores non pati sese mandatis DEI contineri, ideoq; ferro ac hastis coërcendos esse, quo ipso indicatur potestas πολιτικὴ sive punitoria Magistratus, quem gladio armavit DEUS ut vindictam adversus sceleratos exercent, est enim minister DEI: ἐκδιμ. & eis ὄργην vindex ad iram (sive pœnam,

Tom. III.
Witteb.
Latin.
fol. 116.

nam, μετωνυμικῶς iræ nomine accepto) *illi qui malum agit Rom. XIII. 4.*

XVI. II. comparat Rex David filios Belial spinis & dumetis propter eventus infelicitatem: *Et igne comburendo comburentur in sede suâ.* Reduplicationem illam (*comburendo comburentur*) ostendere poenam illam ignis certò & infallibiliter secuturam, supra diximus. Solent autem quandoq; spinosæ herbæ aut aculeati frutices, quales sunt rubi vel rhamnî, in ipsis agris, ubi creverunt, incendi atq; comburi, quo pertinet illud Virgilij lib. I. Georgicorum -- *Segeti pratendere sepem, Insidias avibus moliri, incendere vepres.* Et hoc arbitror hic potius significari, ait Casparus Sanctius h. l. *Nam ubi vulgatus habet, usque ad nihilum, Hebr. est מושב i. e. in suâ sede, aut loco, quomodo transtulit Pagninus. Quasi dicat, eadem sede, ac loco, ubi nata sunt, comburentur spina &c.* Non imus inficias, commodè hæc referri posse ad contumaces Judæos, quorum in Templi Hierosolymitani vicinorumq; ædificiorum deflagratione multa millia in ipsis sedibus suis flammâ periisse Josephus scribit lib. VII. de bello Judaico cap. XI. verum hoc ipsum ignis supplicium, quod ibi perpeffi sunt rebelles Judæi, præludium saltem fuit ignis illius infernalis & æterni, qui omnes impios & Evāgelii contemptores manet. Quemadmodum sulphureo igne q; imbre in habitaculis suis absorptorum Sodomitarum & reliquorum Pentapoleos inhabitatorum horrenda pœna insignis quædam figura fuit Gehennæ & punitionis impiorum in stagno ignis & sulphuris æterni, ut docet Judas in Epistolâ suâ vers. 7. *Sicut Sodoma & Gomorrha & finitima civitates simili modo ἐκπορεύ-*

*αἰ. i. e. in scortationem effusa, sive ad defatigationem usq; scortationi operam dantes, & cum sectatae essent carnem alteram, ἀρκενται δέγμα τῶν αἰώνων δίκην ὑπέχουσι, i. e. proposita sunt exemplum ignis aeterni poenam sustinentes, quia ab uno igne transferunt ad alium, scil. infernalem. Confer II. Petr. II. 6. Dici etiam posset, impios & pravarios comburi in hac vitâ in habitationibus suis igne malae conscientiae, & irae divinae, quomodo loco supra citato dicit B. Lutherus de Judæis, quod *ad hoc non desinant ardere, ubicunq; sunt in suis conventiculis etiam miserrimè exules illo aeterno igne irae DEI.* Sed hic de igne Gehennae ἀσβέσω præcipuè sermo est. Vult enim dicere Rex David; Filios Belial & regni CHRISTI oppugnatores à DEO vel in hac vitâ vel in die iudicij è terrâ & cœtu fidelium ejectos igne aeterno certissimè & infallibiliter comburendos esse in mansione suâ i. e. in inferno, *Diabolo & angelis ejus parato* Matth. XXV. 41. nisi ante finem vitæ ad DEUM convertantur. Uti enim οἰκητήριον & πολίτευμα, id est, domicilium, patria, Respublica seu civitas piorum in cœlis est, II. Corinth. V. 1. Phil. III. 20. ibi namq; τὸ πολίτευμα, ubi princeps, qui seipsum, ut eleganter loquitur Fulgentius, *alimentum præstat, ne deficiamus in viâ, & premium servat in patriâ.* Sic quoq; impii domicilium & habitaculum suum in inferno habent, in stagno ignis, in quo aeternum dolore innarrabili cruciabuntur. Psalm. XLIX. 15. *Sicut pecus in inferno ponentur, mors depascet eos, infernus habitatio eis.* Agitur hic de impiis, quos aeterna manet damnatio. Comparantur illi pecoribus seu ovibus, quarum pastor est Diabolus. *Habent in inferno pastorem Diabolum,**

*holum, qui in hac vitâ vitam spreverunt Christum, inquit Augustinus Tom. 2. Col. 455. c. d. Non deducuntur autem ad amœna pascua, sed ponentur in inferno. Non depascent virentia gramina, rore divinæ gratiæ con-
 spersa, sed mors (temporalis primùm, dein æterna) depascet eos, i. e. pabulum erunt post mortem tem-
 poralem æternorum cruciatuum & ignis, qui non ex-
 tinguetur. Infernus domicilium ipsis, vel infernus ab habitaculo eis. חַבְלֵי עֵשֶׂת enim est habitaculum, hospi-
 tium & c.*

XVII. Punit Deus impios haud rarò in hac vitâ temporalibus pœnis in sede ac domo suâ, sed omniũ pœnarum cumulus eos manet post hanc vitam in inferno. Pœnas autem & cruciatus infernales *ignis* nomine sæpissimè designat Scriptura. Est enim ignis cruciatus acerbissimus & supplicium atrocissimum, imò suppliciorum omnium extremum Curtio teste lib. VI. cap. 12. In N. T. duo imprimis sunt loca insignia & huic nostro parallela. Prior horum est Matth. XIII. 30. *Colligite primùm Zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum ea.* Zizania sunt οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ, *fili Diaboli* v. 38. non creatione, sed imitatione Joh. VIII. 44. August. tract. 42. in Johan. *Imitando Diabolum facti sunt filii Diaboli.* οἱ ποιῶντες τὴν ἀνομίαν *facientes iniquitatem* v. 41. Ulti autem tempore Messis à Mes-
 soribus triticum à Zizaniis & sentibus separatur & in horreum Patrisfamilias invehitur, zizania verò collecta & in fasciculos alligata comburuntur: *Ita erit in consumatione bujus seculi: Pii ad cœlestia & æterna gaudia deducuntur, impii verò mittentur in caminum ignis, ubi erit fletus & stridor dentium* v. 42. Alter locus



est Joh. XV. 6. ubi Christus vera illa vitis v. l. inquit; *Si quis in me non manserit, ἐβλήθη ἔξω, ejectus est foras, sicut palmes & exaruit: & colligunt eos, & in ignem conjiciunt, & ardet.* Hoc loco Salvator hypocritas & apostatas, qui primùm verâ fide Christo insiti, postea verò vel in errores cum fidei fundamentis pugnantes prolapsi eosdem pertinaciter defendunt, vel in peccata contra conscientiam sponte ruunt, inq; illis sine pœnitentiâ perseverant, infrugiferis palmitibus componit, qui in eo cum zizaniis & spinis conveniunt, quod nullum alium usum habent, quàm ut igni alimentum præbeant, Ezech. XV. 2. seqq. Augustinus tractat. 81. in Johan. *Ligna vitis præcisa nullis agricolarum usibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Unum de omnibus palmiti congruit, aut vitis aut ignis. Si in vite non est, in igne erit. Ut ergò in igne non sit, in vite sit.* Observa I. Per Zizania & palmites infrugiferos his locis non intelliguntur quidem promiscuè & in genere omnes filii impietatis, etiam qui extra Ecclesiam sunt, sed in specie illi, qui unâ cum tritico in agro Domini i. e. Ecclesiâ crescunt & Christo primùm per fidem insiti, postea ab eo defecerunt, dubium tamen non est, etiam reliquos infideles, qui sunt extra Ecclesiam æquè ac illos inter sarmenta inutilia & infrugifera igni Gehennæ deputata esse numerandos. II. Non loquitur Christus apud Johan. loc. alleg. de igne materiali in hac vitâ urente, sed de igne infernali. Johannes Bernhardinus Muscatellus in practic. Criminal. cap. de Crimin. læs. Majest. divin. num. 48. & 49. & Simanca in Institut. cap. 46. num. 45. de igne materiali in hac vitâ urente verba Christi accipiunt & ex eo probare conan-

conantur, hæreticos esse ad ignem damnandos. Sed frustra. Quod agnoscit Didacus Covarruvias JCTUS Hispanus, qui omnia habet, Jurisperitorum proverbio, lib. 2. Variarum resolut. cap. 10. ut & Gundissalvus de Villadiego Apostolici Palatii Auditor de hæretic. quæst. 15. num. 4.

XIIX. Cæterum cum filios Belial instar spinarum comburendos esse Rex David prædicat in nostro textu, videndum, quid intersit inter ignem qui spinas comburit & ignem qui damnatos in inferno torquebit. Ignis ex rhamno, sentibus, carduis &c. excitatus subito magnus fit ac latè serpit, ingentemq; edit strepitum, sed citò consumitur ac tenues evanescit in auras. Hinc David dicit Psal. CXVIII. 12. *Circumdederunt me tanquam apes, sed extincti sunt, ut ignis spinarum.* Ratio in promptu est, quia enim non est lignum solidum sed tenuis materia ex qua spinæ & sentes constant, hinc quoque ignis earum mox evanescit, & paucos cineres relinquit, vide Levinum Lemnium de herbis Biblicis cap. 4. Verum impiorum in inferno ignis ardendi nescit terminum, nulloq; seculorum tractu extinguendus est. Urentur damnati igne Gehennæ aut non exuerentur, aut absumentur, sed in igne illo perpetuò vivent. *Hic uno temporis momento in ignem missus homo, exspirat; ibi autem crematur quidem & dolet, sed ne utiquam quod crematur, consumitur, ut habet Chrysostomus hom. XLIV. in Matth. Nam quemadmodum in ustrinâ ferrum candens ita ignem imbibit, ut merus sit ignis & ferrum tamen maneat, sic inferorum flamma ipsis damnatorum ossibus & ossium medullis implicabitur, sine eorum interitu.*

Drexelius
De Dam-
nator. ro-
go cap.
VI. S. 1.

XIX. Nimis clara & aperta sunt quæ Prophetæ, quæ



magister Prophetarum Christus de hoc igne prædixit. Jer. XVII, 4. *Ignem succendistis in furore meo, usq; in æternum ardebit.* Ignem hunc vos ipsi succendistis, inquit Dominus, sceleribus namq; toties repetitis clementiã meam ludibrio habuistis, iram meam, tametsi modicam impatientissimè tulistis, exleges & omnis disciplinæ contemptores in vetitum corruistis, jam tempus vindicandi est, succendistis ignem in furore meo, jam ardebit furor meus usq; ad inferni novissima. Devt. XXXII. 22. *Discedite à me maledicti,* Judicis Christi decretoria sententia est, *in ignem æternum, qui paratq; est Diabolo & angelis ejus* Matth. XXV. 41. O æternitas, æternitas, tu sola ultraomnè modū supplicia damnatorū exaggeras! Aeternus autem vocatur ignis infernalis, propriè & principaliter, quia semel accensus, nunquã extinguetur, unde etiam ἀσβεστος eum appellat Johannes Baptista apud eundè Matthæum cap. III, 12. & Luc. III. 17. de Christo dicens; *Cujus ventilabrum in manu suã, & permundabit aream suam; & congregabit triticū suum in horreum, paleas autem comburet igni ἀσβεστο, inextinguibili* (Beda ad hunc locum Lucæ inextinguibilem interpretatur, quòd neq; ipse possit exstingui, neq; eos, quos cruciat, unquã sit exstincturus.) Christus ipse Marc. IX. 45. *Bonum est tibi claudū introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam, in ignē inextinguibilem.* Esaias Propheta in extremo libro suo (cap. LXVI. 24.) de peccatoribus dicit; *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Eandem sententiam Dominus apud Marcum cap. jam alleg. vers. 44. 46. & 48. de supplicio Gehennæ disputans emphaseos causã tribus vicibus repetit. *Quē non terre-*
at,

EXPLIC. VERB. ULT. DAVID. II. SAM. XXIII. 1. seqq. 155
at, ait Augustinus lib. 21. de Civit. D. cap. 9. *ista repetitio*
& illius poenae comminatio tam vehemens ore divino? Ex
dicto illo idem Augustinus libro de fide & bonis ope-
ribus cap. 15. rectè colligit, *ignem illum aeternum dici non*
tantum ratione durationis, sed etiam ratione cruciatuum,
quos damnati ab eo & in eo in omnem aeternitatem tolerare
cogentur. Longe igitur deterior est conditio impiorū
& damnatorum, quā spinarum, hæ enim brevi tem-
poris spacio in cineres & favillas rediguntur, sed impii
nunquam desituris ignibus cruciantur. Spinæ non
sentiunt ignis ardorem & flammæ, sed impij exquisi-
tissimo doloris sensu infernalis illius ignis ardorem
percipient. Cyprianus in libr. ad Demetrian. num. 21.
Cremabit addictos ardens semper gehenna & vivacibus
flammis vorax poena, nec erit, unde habere tormenta vel re-
quiem aliquando possint vel finē. (Finis ibi semper incipiet,
ait Petrus Blesensis) Idem Cyprianus Serm. de ascensu
Domini; *Immortales miseri vivent inter incendia & in-*
consumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Casiodo-
rus in Ps. XXXVI. 28. L. 7. *Iste ignis, inquit, sic absorbit ut*
servet, sic servat, ut cruciet, dabitur q̄ miseris vita mortalis
& mors servatrix. Hugo libr. 1. cap. 3. de anima. *Arde-*
bunt miseri in igne aeterno, in aeternum. Sic morientur, ut
semper vivant & sic vivent, ut semper moriantur.

XX. Nec aeternus tantum erit ignis infernalis, sed
etiam continuus & nunquam interruptus. Semper de
damnatis dici poterit, *ardent*, quia ne minimum qui-
dem in aeternitate illa temporis momentum dabitur,
in quo non ardeant. Apoc. XX. 10. *Et Diabolus seducens*
eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia &
pseudopropheta & cruciabuntur die ac nocte in secula secu-
lorum. Sed an ignis ille infernalis futurus sit corporeus
& ma-

156 TESTAMENTUM DAVIDICUM SIVE
& materialis, an verò incorporeus ac omnis materiae
expers, Theologorum tam veterum quàm recentiorum
alij affirmant, alij negant, alij in medio relinqvunt. *Af-*
firmant Tertullianus lib. de animâ cap. 7. Augustinus
lib. 21. c. 10. de Civitate DEI, ubi ait; *Gebenna illa, quod*
etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis
erit. Gregorius lib. 4. Dialogor. cap. 29. ubi inquit; *Di-*
abolus ejusq; angeli cum sint incorporei, corporeo igne erunt
cruciandi. Hosq; omnes ferè Scholastici & Pontificij
sequuntur, in primis Thomas Opusc. 10. articulo 41.
Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. annot. 141. Bellarminus
lib. 2. de purgat. cap. 11. Becanus in append. tract. de Pur-
gat. Estius in librum 4. Sententiar. distinctione 44.
Maldonatus in 16. cap. Lucae, Jodocus Lorichius in
Thesauo Novo Theolog. in voce *inferno*. num. 4. Lau-
rent. Justinianus de Connubio animæ & verbi cap.
16. & c. & quidam ex Calvinianis, Keckerm. in System.
Theol. cap. 7. pag. 278. Hieron. Zanchius in 2. Thess. 1.
tom. 6. oper. fol. 458. Alstedius in Theolog. Polemicâ
part. 4. contro. 11. pag. 376. Calixtus libro de bono per-
fectè summo pag. 52. seqq. *Negant* Ambrosius lib. 7. in
Lucam cap. 14. ubi ait, *ignem esse, non flammarum corpo-*
ralium sed quem generat mæstitia delictorum. Chryso-
stomus Epist. 5. ad Theodorum lapsam & homil. 44. in Matt.
cap. 22. Augustinus lib. 12. in Genesin. ad literam. Jo-
hannes Damascenus lib. 4. Orth. fid. c. 28. pag. 396. ubi
inquit; *Et tradentur Diabolus & Demones ejus, & homo*
ejus, id est, Antichristus & impij & peccatores in ignem æ-
ternum, & χ ὕλικόν, ὅιον τὸ παρ' ἡμῶν, ἀλλ' ὅιον εἶδειν ὁ Θεός,
id est, non materialem, qualis est apud nos, sed qualem no-
vit DEUS. Hanc opinionem latè probant Rainoldus de
libr. Canon. & apocryph. tom. 1. prælect. 51. pag. 530.
seqq.

seq. Tilenus part. 2. Disput. 68. th. 41. & seq. Franc. Junius in
 notis ad controv. 5. Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. II. num. 4.
In medio relinquunt; Augustinus lib. 20. de Civit. DEI cap.
 16. ubi inquit; *Cujusmodi sit ignis infernalis, & in quâ mundi*
parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte
cui Spiritus divinus ostendit. Idem lib. 8. de Genes. ad literam
 cap. 5. de eadem re disputans ait; *Melius esse dubitare de oc-*
cultis, quàm litigare de incertis & B. Gerhardus, qui inquit
 Tomo IX. & ult. Loc. Theol. Loc. 35. § 69. *An ignis ille (in-*
fernalis) reverà corporeus, materialis ac visibilis futurus sit,
an verò incorporeus, invisibilis ac immaterialis, in medio
relinquimus (quàmvis in partem posteriorem magis pro-
pendamus) ac DEUM serio precamur, ne per experientia noti-
tiam illud nobis manifestet. Præstat omni studio per veram &
seriam conversionem de fugiendo igne infernali sollicitum esse,
quàm de naturâ illius ignis odiosè & otiosè digladiari. In libro
apocrypho hac de re habetur sententia vel canone digna lib. 4.
Esdra cap. 9. v. 13. Noli curiosus esse, quomodo impij cru-
ciabuntur, Huic sanctissimi Patris, & desideratissimi avun-
culi nostri sententiæ nos quoq; subscribimus.

XXI. Doctrinæ hæ observandæ sunt; I. CHRISTUM
 non tantum esse Regem & Dominatorem fidelium &
 DEUM timentium, eos in hac vitâ blandè & suaviter foven-
 do, adversum omnia pericula tuendo, ac tandem in novis-
 simo die felicitati sempiternæ sistendo, quod est regnum
 ejus gratiæ, vide Disp. II. th. XV. sed & rebellium & refra-
 ctariorum, qui se regno & legibus ejus subicere non vo-
 lunt, cum ex officio tamen id facere teneantur, eos justè
 puniendo & æternum damnando, quod est sceptrum ejus
 potentiæ & regiæ potestatis in illos signum. Nam ut se pla-
 cidis ovibus mitem atq; amabilem pastorem exhibet; ita
 se rebellibus & contumacibus hædis ac lupis severum &



formidabilem dominatorem præbet, ut contumaciam & savitiam eorum coerceat, corrigat atq; compescat. Hæ verè magno pariter & justo regi sunt artes; *parcere subjectis & debellare superbos.* Hinc quoq; æterno Regi ac Dominatori nostro non tantum tribuitur *ποικίλιν* Matth. II. 6. (quâ voce mansuetum & comæ Messiaæ imperium, benevolentia & affectus erga subditos plenum designari diximus Disput. II. th. 18.) sed etiam *confringere & conterere virgâ ferreâ* Psalm. II. 9, scil. ut dictum est, quia suaviter & placidè fovet, qui placido ac mansueto ejus imperio colla submitunt, & graviter in eos animadvertit, qui obstinatâ malitiâ ejus jugum excutiunt & quasi elatâ manu ipsi adversantur. Sensuri enim aliquando hi ipsi sunt, quàm horribili potentiâ sit instructus, & cum lenè jugum disciplinae CHRISTI in hac vitâ amplecti nolint, ut ipsi volentes & prompti serviant, inviti tandem servient, cum in tenebras exteriores projicientur.

XXII. II. Qui in hac vitâ pijs sunt molesti, illosq; spinarum instar pungunt & cruciant, illi iterum pungentur & cruciabuntur in alterâ vitâ: qui in hac vitâ ignem & rogos veris Christi confessoribus inferre non formidarunt, illi in die judicij in stagnum ignis & sulphuris conjicientur & æternùm ardebunt. III. Non habeamus quicquam cum illis commune, quibus displicet sancta servitus, & contra effrenis illa quidvis agendi licentia placet; Quibus jugum CHRISTI, quod ipso fatente, suave est Matth. XI. ult. durum & difficile imperium videtur. *Qua enim conventio Christo cum Belial* II. Cor. VI. 15. Christus maximè obediens est Phil. II. 8. & suum jugum ferri præcipit Matth. XI. 29. Belial est prævaricator, exlex, apostata & κατ' ἐξοχήν Diabolus, ut supra dictum. Uti itaq; nulla esse potest συμφωνία, consonantia, concordia, consensus Christo cum Diabolo, ita

ita necesse debet inter membra Christi & membra Diaboli. *Ea enim rerum natura est, ut cum bonus improbo se jungit, non improbus à bono emendetur, sed bonus ab improbo contaminetur. Inter malos bonum esse, est contra torrentem natantare. Quod quandoq; fieri posse non negarim, sed tam difficulter, quam raro, inquit Drexelius in Niceta lib. I. cap. 9. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eà & qui communicaverit superbo, induet superbiam Ecclesiast. XIII. 7. Amicus stultorum similis efficitur. Proverb. XIII. 12. Nescitis, inquit Paulus, quia modicum fermenti totam massam corrumpit, I. Cor. V. 6. Mellis amphoram aut cadum parva admodum absynthii stilla corrumpit, & dulcedinem illius permutat; & ex adverso absynthii modicam stillam vix multi mellis cadi temperare & ad omnimodam dulcedinem adducere possunt. Pari ratione malus unus plures facile inficit: unius autem mali mores vix multorum probitas & pietas in se transfert. Salazar in allegat. Proverb. loc.*

XXIII. IV. Cavendum sedulo non solum ne in manifestam impietatem incidamus & jugum DEI excutiamus, sed etiam ne quovis prætextu ordinationi divinæ resistamus, admoniti poenis illorum, qui imperium DEI detrectant & iussa recusant. Augustini in Psal. CXXXIV. in fine fidele monitum est; *Ne putes, Dominum dormire. Quando tu vides, quæ facta sunt in impios, cave, ne fiant in te. Ad hoc enim & contra illos facta sunt, ut tu transires, & eos non imitareris & talia non patereris. Vide quomodo flagellum Domini est super omnem terram.*

XXIV. V. Cogitandum attentissimè, eos, qui leni atq; mansuetæ dominationi Christi sese subicere nolunt, ut intractabiles spinas duriter ac severè tractandos & æternis ignibus comburendos esse. Agnoscite impii & exleges homines.

mines, quod spinæ sitis avulsæ, inutiles, noxiæ, quod sitis arida, exesa, infructuosa, trunca, mortua arbor, & ideò ignē, quem divina justitia, imò quem vos ipsi impietate & sceleribus vestris accendistis, æternis seculis arsurum expavescite. Sanè hoc incendium non evadetis, nisi vela detis retrorsum! *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Esaia XXXIII. 14. Vos verò pii, flammæ illas immortales perpetuò contemplamini. Aestimare vobiscum, quantum fas est, quæ hîc eloqui non potestis, & sic evitabitis, quæ ibipati non poteritis. *Non sinit in Gebennam incidere, Gebennæ sæpius meminisse,* ait Chrysoströmus Serm. 31. in cap. 16. Epist. ad Rom. tom. 4. fol. 316. *Descendamus in infernum viventes, ne descendamus morientes,* inquit Bernardus in libro de vita Solitar. ad fratres. Aures vestræ semper circumsonent vocibus istis; **IGNIS EORUM NON EXTINGVETUR.** Tolerate quoq; adversitates hujus mundi. *Quæ enim quisq; gravia valdè patitur in hac vitâ, in comparatione æterni ignis, non tantum parva, sed nulla sunt,* docente Augustino tom. X. Serm. 109.

Superest, ut absolutâ per DEI gratiam Verborum ultimorum Davidis Expositione, & difficultatibus utcunq; superatis, humiles ac devotissimas DEO agamus gratias, cum Exercitu cœlesti dicentes:

GLORIA IN ALTISSIMIS DEO!

01 A 6640


ULB Halle 3
003 108 309



Sb.

VD 17







29, 30

TESTAMENTUM
DAVIDICUM,
Sive,
ULTIMORUM VERBORUM
DAVIDIS

I. Samuelis XXIII. 1. seqq.
SUCCINCTA ET ORTHODOXA EXPOSITIO.

DISPUTATIO IV;

ET ULT.

Exhibens ἐξήγησιν vers. 6. & 7. seu ult.

Quam

In Inclutâ Academia VVittebergensi

PRÆSIDE

JOHAN. ANDREA QUENSTEDT

SS. THEOL. D. & Prof. Extr.

*Dn. Præceptore atq; Patrono suo ætatem venerando,
publicæ ventilationi subjicit*

JOHANNES HERDEN. Thorunio-
Prussus.

die 29. Decembr. Ao. 1655. horis locoq; solitis.

WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII,
ANNO clv lo CLV.

